DOMINICI ARUMAEI, ... DISCURSUM ACADEMICORUM AD AUREAM BULLAM CAROLI 4...

Dominicus Arumäus, Johann Georg Pfaffreutter, Valenti Gonzaga

AD CAPUT PRIMUM.

I.

CAput hoc primum A. B. trimembre est: Nam à principio usque *ad §. 18.* de salvo conductu Electoribus, aut eorum nuntiis præstando agit; A §. 18. *usq. ad* §. 22. quando & per quem Electores ad electionem novi Imperatoris vocari debeant, pertractat; & tertiò *in* §. 22. quid Francofurtenses tempore electionis agere debent, explicat.

II.

De primo: Cùm Carolus noster intelligeret ad curam Majestatis Imperat. pertinere, ut pacatæ & tutæ sint imperii regiones. *l. 3. in fin. l. congruit. ff. de offic. præsid.* Non solùm in Boemiæ regno contra prædones & viarum infestatores vias publicas defensitavit, ut testatur *Dubrav. lib. 22. hist. Boem.* Verùm etiam in imperio & præsertim tempore eo, quo necessitas Regis Romani in Imperatorem promovendi emerserit, & Principes Electores ad electionem abire contigerit, sapienti consilio viarum securitati prospiciens cavit, ut illi per quorum ditiones & terras Electores, aut eorum nuncii transire cogerentur, eos contra omnem injuriam tuerentur & ad locum destinatum producerent.

III.

Atque Elector quidem requisitus, quoslibet Principes Coelectores suos vel ipsorum nuncios sub pœnâ perjurii & perditionis suæ vocis, pro illa duntaxat vice: alius vero Princeps, Comes, Baro, Miles, nobilis aut ignobilis, cives & quicunque Romano imperio subditi sunt; eosdem conductum ab iisdem exigentes, per territoria & ditiones suas, sub pænâ perjurii, privationis omnium feudorum, libertatum, gratiarum & privilegiorum ab imperio obtentorum, conducere tendatur. §. 1, 2. 3.

IV.

Extendunturque eæ pœnæ ad omnes Principes & alios, qui vel insidias struere, aut Electorum vel Nunciorum personis & rebus damnum, etsi conductum non exegerint, dare præsumserint. §. 4. b. ut etiam non obstantibus inimicitiis alter alterum ejusque Nuncios salvo conductu deducere sub pœnis supra enumeratis teneatur. §. 5. & 6.

V.

Ut autem salvi conductus cautio firmior sit, quæ aliàs fragilis perhiberi solet, *Menochi. Cons. 100. n. 185. lib. 1.* ideò Imperator eam non solùm literis sed & juramento confirmari & contra detrectantem pœnas pro personarum qualitate antea dictas statuit. §. 7.

VI.

Si vero unus vel alter ex prædictis vel de electoratu, vel feudo imperii nondum investitus hanc de salvo conductu constitutionem implere noluerit, is, nec de Electoratu nec de feudis aliis imperii investiri, pœnis quoque personam concernentibus durantibus, poterit. §. 8.

VII.

Et, quamvis omnes requisiti salvum conductum Electoribus aut eorum nunciis modo præmisso exhibere cogantur, tamen pro locorum & regionum adjacentia, cuilibet Electorum magis aptos designavit Carolus §. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. Et si Elector salvum conductum per ditiones cujusque expetit, tempestivè per quam viam transire velit, significare debet. §. 16. Et requisiti omnes conducant, quantò possunt longiùs. §. 17.

IIX.

Occasione præcedentium quæritur: An Legatus in Principem ad quem missus est, conjurans puniri possit? Et ut ante annum ejusdem quæstionis in collegio feudali coronidis loco subnexæ semel affirmativa placuit, ita nec ampliùs displicebit, authore Magnif. Dn. Ordinario, Præside longè dignissimo, ætatem submissè suspiciendo, in nostro discursu primo. Legatus enim cum jure gentium talis censeatur, etiam contra id quod

quod omnes gentes prohibent, facere non debet. Itaque Legatum Principis sui majestatem ita tueri deceat, ut ejus ad quem missus est, illæsa majestas servetur, utique si eam læserit, pœnâ eum constringi res exigit. Sunt enim hæc consequentia, offendere si prohibetur, pœnam infligere offendenti permissum esse; eleganter Plutarchus: qui nos docuit sagittare, non vetuit jaculari, sed vetuit ne aberraremus à scopo: ita non est interdicta punitio, sed in tempore & aptè facienda. Et Legatus fines mandati diligenter observare debet, quos si excedat, non ut Legatus sed ut privatus agit. *l. 16. ibi non nisi injuncto munere fungitur. ff. de Legatis. l. 5. ff. mand.* hinc est, quod dici solet: privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate. *c. ubi distinct. 74* Facit huc *l. non aliàs 24. §. 1. ff. de judic.* Et scriptum Elect. Saxon. Johan. Friderici & Philippi Landgravii Hassiæ adversus Henricum Ducem Brunsvicensē Anno 1539 haben aber solche Legaten / ait, in Zeit jhrer Legation etwas verwircket / betrügliche Sachen gebraucht oder gehandelt / so hat man sie ohn Unterscheid angegriffen / gefänglich angehalten / jhre Brieff gebrochen und zu Zeiten gestrafft etc.

IX.

Sed quid si Elector aut etiam Nuncii insolitam ingrediantur viam & spolientur, tenebiturne territorii Dominus, si ejus conductum petere neglexerint, ad damni emendationem? quod Negatur per *text. in* §. 16. volumus, inquit, & expressè statuimus, ut unusquisque Princeps Elector, qui talem habere voluerit conductum, his, à quibus ipsum postulare debuerit, hoc ipsum adeò tempestivè, viamque qua fuerit transiturus, insinuet, & talem couductum exposcat. Ratio manifesta est: jus enim non patitur alii per alium iniquam conditionem inferri, quod fieret, si derobatum vestire Dominus territorii cogeretur. Nam dum ex jure ad solitæ viæ securitatem saltem constringitur, facto hoc, si contrarium diceremus, ad insolita quoque curam eum adigeremus, idque est quod nostri tradunt, viam solitam & non inusitatam in damni præstatione attendendam esse. *Gravett. cons. 400. n 15. Gail, 2. obs. 64. n. 12.*

Et qui non vult, cum debet, id cum vult, non potest. *Alb. Gent. lib. 2. c. 2. de legation.* facit hûc *l. 4. §. 5. ff. de offic. Procons.*

X.

Alterum membrum hujus capitis est, per quem Electores ad electionem novi Imperatoris convocari debeant? Et ad Moguntinum Archiepiscopum spectare dicit Carol. §. 18. idque ab antiquo ei competiisse attestatur *§. 2. inf. c. 4.* Quæ decisio, etsi non careat scrupulo, uti ex discursu nostri Autoris gravissimo patet: Attamen cum Carolus tanquam Imperator & qui ex imperii Archivis rem potuit habere exploratissimam, attestetur, ab antiquo convocandi facultatem Moguntinum habuisse, non sanè temerè contradictio admittenda erit. Succurrunt & aliæ gravissimæ rationes, quas hûc referre nostri non est instituti.

XI.

Quod si tempore eo, quo convocatio fieri debet, non sit Archiepiscopus, succedetné capitulum? Neg. Textus n. noster loquitur de Archiepiscopo, non capitulo, is debet intimare *d. §. 18. 19. & c. 4. §. 2. inf.* Et si Archiepiscopus in executione & intimatione hujusmodi negligens aut remissus existat, quod tunc Coelectores motu proprio convenire possint. *d. §. 19.* Si vero capitulum convocandi jus haberet, utique negligente convocationem Archiepiscopo id obtineret, quia dictum est Innocentii, quod Episcopo negligente aut peccante potestas ejus devolvatur ad capitulum, *c. nulla. extr. de process. prabend. c. cunctis. n. 7. de elect.* Insuper capitulum sede vacante non succedit in iis, quæ Episcopo, non ut Episcopo sed aliunde competunt. *c. 2. extr. ne sede vacant. aliquid innov.* At jus convocandi Moguntino, non ut Episcopo sed ut Principi Electori imperii competit, ut patet ex A. B. Nec etiam capitulum succedit in iis, quæ Episcopo, jure speciali seu privilegio competunt *Marc. d. decis. 81. n. 7.* Moguntinum vero jure speciali & privilegio ipsi ab antiquo competenti constare constat. *c. 4. §. cæterum infra.*

XII. Mo-

XII.

Modus convocationis est, ut Archiepiscopus Moguntinensis, qui pro tempore fuerit, singulis Principibus Coelectoribus suis Ecclesiasticis & Secularibus electionem eandem per suos nuncios patentibus literis debeat intimare *d.* §. 18. hîc. Quapropter si unus Electorum vocatus non fuit, plus ejus contemtus electioni quàm cæterorum contradictio adversatur. *c. venerabilem extr. de elect. & elect. potestat.* potestque is, si velit, contemtum annihilatione electionis vindicare. *c. quod sicut extr. de Elect.* Unde cum omnes Electores convocandi sint, per text. nostrum commonemur, eos in hæresi esse, qui Regem Boemiæ tunc demum convocandum statuunt, cum alii Electores discordant. *Gaild. cons.* 1. *n.* 10. Est enim ille Elector *in pr.* [illegible] §. 10. & *c.* 4. §. 3. & passim in hac A. B. Ergo est convocandus: maximè cum Carol. in *c.* 4. §. 3. *inf.* tertium ipsi suffragium tribuat.

XIII.

In his autem patentibus literis talis dies & terminus exprimetur, infra quem, eæ ad singulos Principp. Coelectores verisimiliter possint pervenire, continebuntque ut à die in literis expressa 3. menses continuos omnes & singuli Principp. Electores ad Francofurtum ad Mœnum conveniant, vel suos legales ad eund. terminum atque locum nuncios destinent, cum plenâ & omnimoda potestate, suisque patentibus literis majori cujuslibet sigillo signatis ad eligendum Romanorum Regem in Cæsarem promovendum. Si enim privati, qui, ut Ulpianus ait, rebus suis superesse ipsi vel nolunt vel non possunt, per alios vel agere vel conveniri possunt. *l.* 2. §. 2. *ff. de Procurat.* Sanè id Electoribus, quibus vel temporis momento à curis & summis negotiis animus vacuus non est, minimè denegari debuit. Et si Legatus talis ab Electoribus non admittitur, electionem impugnare potest, *c. quia propter extr. de elect. & elect. potest.* quia eo absente facta est, cum potuerit esse per se vel per Procuratorem præsens, quorum alterum sufficit, *ait Innocent. in d. c. quia propter n.* 10.

XIV.

XIV.

Jure tamen Can. non aliter, quàm si justo impedimento Elector impediatur, admittitur, super quo, si opus fuit, faciat fidem juramento, *in d. c. quia propter §. illud autem de elect. & elect. potest.* Cujus tamen decisio an ad Principes Electores transferri debeat, dubitatur, tum quod in *§. praeterea & § Princeps verò b.* hujus juramenti mentio nulla fiat, cùm quia impedimentum in illis permanens ob negociorum varietatem praesumatur. Exemplum tamen ejus decisionis can. habemus in *Goldast. in replic. pro imperio fol. 437.*

XV.

Si tamen Elector Collegae vices suas demandârit dubitari potest, num is duplicem vocem habere debeat? Et dicitur quod sic, ut is voto suo altero, stante etiam paritate votorum, majora efficere poterit. Hinc Moguntinus ait, in diplom. Haben wir auch mit Willen unserer mit Churfürsten seine Stelle eingenommen / und so wol für unsere Person / als an statt und von wegen vorgemelten Königs in Böhmen / den Durchleuchtigen Fürsten unnd Herrn Adolphum / Graffen zu Nassaw / zu einen Römischen König erwehlet. etc.

XVI.

Cum igitur obitus Imperatoris Moguntino innotuerit, tunc à die noticiae caeteros Electores intra mensem, continuè numerandum, convocare debet. *§. cum autem hic.*

XVII.

Quod si verò Moguntinus elapso menstruo spacio suos Coelectores convocare neglexerit, tenentur illi intra spacium 3. mensium Francofurtum non secus, ac si vocati essent, venire *d. § cum autem.* Non enim socordia Decani caeteris obesse debet, aut etiam imperium custode destitutum detrimenti aliquid ob negligentiam unius sustinere.

XIIX.

XIIX.

An autem Moguntinus hoc spacium trimestre abbreviare inscijs Collegis possit, quæri potest? Et quantum ex *Schleid. lib. 7. & 8. de stat. relig.* colligere possumus, id minimè potest, cùm quia imperii & Reipubl. interest plurimùm, si forte unus & alter exclusi tempore non adsint: tùm quia quando ordo vel modus in legis dispositione statuitur, is pro forma habendus est. *Felin. in c. cum dilecta. n. 6. de descript.* formæ autem mutari nequeunt, *l. nemo potest ff. de legat. 1.* tùm quia terminus legalis citationi inserendus *Gail. 1. obs. 53. n. 19.* Hinc in terminis Electionis Nostri tradunt, quod Decanus, ad quem pertinet capitulum congregare, tempus regulariter abbreviare nequeat. *Francisc. Marc. decis. 569. n. 2. part. 2.*

XIX.

Convocati autem Principes Electores vel nuncii, civitatem Francofurtensem tantummodo cum ducentis equitibus tempore electionis introire debēt, in quorum numero 50. armatos vel pauciores, non tamen plures habebūt. *§. debet autem 20. hic.*

XX.

Quod si verò Elector vocatus ad electionem venire, vel etiam Nuncios cum libera ac omnimoda potestate mittere neglexerit, aut etiam venerit, attamen antequam Rex Romanorum electus est, non relicto Procuratore legitimo recesserit, electionis voce seu jure, quod habuit, ista vice carere debet. *§. Princeps verò 21. hic.*

XXI.

Quid si major pars Electorum recesserit aut emanserit? Ac licet in *c. Ecclesia vestra n. 7. de Elect.* minor pars ad electionem procedere non poterit: hoc tamen vix hoc in passu locum habebit, quia per *§. 21.* Carolus vult, recedentem vel absentem privari suo voto, privabitur ergò non unus saltem sed & alter, tertius aut quartus; quia utrobiq; ratio contemtus, qui negocia publica impedire non debet, viget, adeò ut juxta Ulp. jus omniū in unum recidere possit. *l. sicut. §. 2. ff. quod cujuscunq; univers. nom. ubi gl.* licet unus non sit universitas, nec universi, nec universus, retinetur tamē per eum jus universitatis, licet per unum

ab initio constitui universitas non possit, sed per tres *l. Neratius ff. de V. S.* & jure recidere electio ad pauciores potest *c. gratum extr. de postulat. prælat.* ac qui nolunt ad electionem celebrandam accedere, ipsorum absentia electionem impedire nequit. *c. si quod sicut extr. de elect.*

XXII.

Ultimum hujus capitis membrum est, quomodo Cives Francofurtenses tempore electionis sese erga Electores exhibere debeant? Et licet, teste *Sebast. Munst. lib. 3. in sua German.* variè ante hanc A. B. circa electionis locum observatum fuerit, subjicit tamen, singulari benevolentiæ affectu Carolum IV. Rom. Imperatorem esse Francofurtum prosecutum, ut Electionis Romani Regis, futurique Imperatoris per 7. Germaniæ Principp. Electores fiendæ locum eo potissimùm in perpetuum constituerit, bullaque sua aureâ confirmaverit. *in § præterea 18. & c. 2. hic c. invenimus. inf. c. 28.* Cujus sententiæ ut accedamus movent electionum superiorum exempla. Quo respiciens Elector Saxoniæ inter condiciones de Rege Romano creando & hanc addidit: Moguntinus Francofurtū Collegas ad certum diem convocet, neque sit in ipsius potestate conventum alio in loco indicere; nisi Collegæ gravibus de causis permittant. *Schleidan. lib. 8. de Stat. relig.* Quod si tamen periculum imperio adsignatio termini locive allatura videatur, non contra hanc bullam erit, si alio loco electio instituatur, siquidem ea permittit existente legitimo impedimento, locum mutari. *d. §. invenimus. arg. l. usuras. C. de solut. clem. Pastoralis. §. notorium, de sent. & re jud. c. accepimus de fid. instrum.* Cessante v. legitimo impedimento electio apud Francofurtenses institui debet. *d. §. invenimus c. 28.* Quibus duo in §. 22. injunguntur; primum est ut omnes & singulos Electores, eorumque comitatum virtute juramenti, quod Electoribus præstare debent, fideli studio & solerti diligentia ab omni injuria protegant & defendant: alter ut per tempus illud, quo Electio durat, ultra Comitatum Electorum neminem in urbem recipiant, receptos absque mora exire curent, sub pœnâ perjurii, amissionis privilegiorum & banni Imperialis.

Corol-

Corollaria ex cap. 1. & 2. Tract. de Comitiis.

I. Confraternitates inter Principes contractæ, cum non principaliter imperii, sed conventionum intuitu ineantur, differunt à comitiis cæteris imperialibus. Atq; inter confraternitates illa quidem Saxonica & Hassiaca facilè principem locum obtinet, quæ incepit Anno 1262. vel ut alii volunt 1263. quo Misnenses & Brabantini de Thuringia contendebant. Renovata verò inter eos fuit A A. 1372. 1431. 1587.

II. Ecquid nil vel parùm addi detrahive Illustrissimi collegii Electoralis dignitati poterit, an repetamus originem Carolo M. vel Ottoni III. vel ejus nominis IV. aut Henrico II. Imperatoribus; cum sufficeret nobis, quòd origo ejusdem vetustissima sit, scriptorumq; effugiat notitiam: Attamen rectius fortassis facimus, si consuetudine, quæ usurpatione Juris Electoralis orta est, Collegium Electorale sensim constitutum fuisse, asserimus. mod. princ. tit. 1. de A B.

III. Distinguuntur inter se Wahl vnd Collegialtäge, *ut illis Rex Bohemiæ interesse, his verò non itidem soleat. Ac licet, non dubitemus, si ad tempus promulgatæ Bullæ respexerimus, Bohemum congregationi Electorum collegiali interfuisse, tamen cum per observantiam contrariam, vel quod interesse noluerit, aut aliâ de causâ à Bulla nostra recessum sit, ab illo quod olim fuit, ad præsens arguere non licet.*

IV. Dantur Conventus quoq; Deputatorum; quorum numerus quidem primùm restrictus fuit ad Electores omnes, Bohemiæ Rege excepto, quatuor Principes, Prælatum unum, Comitem unum & duas Civitates. Recess. imperii Anno 1555. §. so sich dann abermals etc. *postmodum tamen iis adjecti sunt Dux Juliacensis, Landgravius Hassiæ, Episcopus Constantiensis, Dux Burgundiæ, Dux Brunsvicensis & Duces Pomeraniæ.* Recess. imperii 1570, §. vnnd damit solches etc.

V. Conventuum circulorum, qui vulgari idiomate Kreistäge *appellari solent, initiò sex instituti fuère, sed postea illis quatuor alii additi, atq; ita decem circuli conservandæ pacis publicæ gratia constituti sunt.* Recess. Imp. 1572. vers. drauff haben wir sambt den Ständen etc.

Ex

Eximio Dn. Respondenti amico suo honorando atq; amando.

VElle, satis non est, ad metam currere certam,
Victori at judex munera digna parat.
Præside ARUMÆO cum rursus pulpita scandis
Publica, conatur nectere serta Themis.
PFAFFREUTERE tuæ Patriæ, & Tibi grator honores,
Quos dotes animi promeruêre tui.

Testandi adfectus ergo f.
Christoph. Philip. Richter D.

SI verum, ut sat verum est, PFAFFREUTERE, quod ajunt:
Qui, cupit, ex animis ut redametur, amet.
Cur miror, quòd sis tranquillis tantus ocellis
Astrææ? Magna est scilicet ipsa Tuis.
Perge subinde istos fovisse medullitus ignes;
Non exindè pudor; sed Tibi crescit honos.

fecit
Johannes Sigismundus ab Osterhausen
Eques Thur.

RES digna laude, Pfaffreutere, strennuus
Qui Codicis Cultor perscitè discutis
Vates Arumaus Themista Nobilis
Ad Sanctiones *qua novavit* Aureas:
Certè Aureas, *terris cum nostris Aureas*
Pacis darent dotes; Pressas quum subjuget
Injusta Martis vis, nunc anxiè gemunt
Leges iniquas & cruentum Codicem.
Certè redibunt, certè, antiqua tempora,
Queis Pax & Æquum commiscebunt oscula,
Queis Orbis efflorescet, exoptataq;
Diu redibit gentibus Securitas.
Quis vivet, ah, Deus quum tanta fecerit?

faciebat
Johann. Daum ex Haynis
Hermundunor.

FINIS.